



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Capitularia Regvm Francorum

Additae sunt Marculfi monachi & aliorum formulae veteres, & Notae  
doctissimorum virorum

**Baluze, Etienne**

**Parisiis, 1677**

VI. Praeceptum confirmationis pro Hispanis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-22974**

## VIII.

Vt Episcopi sub occasione quasi auctoritatem habeant canonum, his constitutis excellentiæ nostræ nequaquam resulent aut neglegant; sed potius canones ut intellegendi sunt intellegere & in cunctis observare procurent: quia si aliter fecerint, omnimodis & qualiter canones fidelium decimis agendum statuunt, & qualiter intellegi ac observari cum mansuetudinis nostræ decreto debeant, synodali dijudica-

tione & nostra auctoritate regia docebuntur.

## IX.

Vt Episcopi synodos à Presbyteris, nisi sicut docet auctoritas canonum, duos scilicet, & per tempora constituta, non exigant. Sed & in eisdem synodis non per occasionem, sed per veritatem ministerij sui, teste Deo, ad quod constituti sunt, Presbyteros & tractent & teneant & absolvant.

## TITVLVS VI.

*PRÆCEPTVM CONFIRMATIONIS PRO HISPANIS qui in regno Karoli Calvi morabantur, datum in eodem loco in quo & superiora capitula conscripta sunt, id est, apud Tolosam in monasterio sancti Saturnini, anno Christi DCCCXLIV. regni autem ejusdem Karoli Regis quarto.*

**I**N nomine sanctæ & individuae Trinitatis. Karolus gratia Dei Rex. Si enim ea quæ ob utilitatem sanctæ Dei Ecclesiæ imperialibus edictis sunt constituta, magnificentiae nostræ confirmatione denuo instituentes corroboramus, ad diurnam prosperamque regni à Deo nobis collati stabilitatem id ipsum adtinere non dubitamus, quin etiam ad capeffendam æternæ felicitatis beatitudinem profuturum nobis liquidò credimus. Itaque notum sit omnium sanctæ Dei Ecclesiæ fidelium atque nostrorum, præsentium scilicet & futurorum, partibus Aquitaniæ, Septimaniæ, sive Hispaniæ consistentium magnitudini quia progenitorum nostrorum, magnorum siquidem orthodoxorumque Imperatorum, avi videlicet nostri Karoli, seu genitoris nostri Augusti Hludouici, auctoritatem imitantes, Gothos sive Hispanos intra Barchinonam famosi nominis civitatem vel Terracium castellum cohabitantes, simul cum his omnibus qui infra eundem comitatum Barchinonæ Hispani extra civitatem quoque consistunt, quorum progenitores crudelissimum jugum inimicissimæ Christiani nominis gentis Sarracenorum evitantes, ad eos fecere confugium, & eandem civitatem illorum magnipotentiae libenter condonarunt seu tradiderunt, & ab eorundem Sarracenorum potestate se subtrahentes, eorum nostræque demum libera & prompta voluntate se subjecerunt, complacuit mansuetudini nostræ sub immunitatis tuitione defensionisque munimine benignè suscipere ac retinere, & cohabitationem seu necessitatibus eorum opportunum auxilium, sicut & ab illis progenitoribus eorum & ipsis constat per imperialium apicum sanctionem concessum, clementer conferre: quatenus & nostra regalis conservatio constructa, atque innovatio in eorum bene gestis operibus exaltationi Ecclesiæ pretioso Christi sanguine redemptæ & ministret augmentum, & animabus eorum ac nostræ proficiat semper in emolumentum.

## CAP. I.

**I**gitur, sicut dictum est, ad omnium vestrum notitiam pervenire volumus quia eosdem homines sub protectione & defensione nostra denuo receptos, sicut in unitate fidei, sic etiam in unanimitate pacis & dilectionis conservare decrevimus, eo videlicet modo, ut sicut ceteri franci homines cum Comite suo in exercitum pergant, & in marcha nostra juxta rationabilem ejusdem Comitis ordinationem atque admonitionem explorationes & excubias, quod usitato vocabulo vvaetas dicunt, facere non neglegant, & Missis nostris, quos pro rerum opportunitate illas in partes miserimus, aut Legatis qui de partibus Hispanie ad nos transmissi fuerint, paratas faciant, & ad subvectionem eorum veredos donent, ipsi videlicet & illi quorum progenitoribus, temporibus avi nostri Karoli, id ipsum facere institutum fuit. Si autem hi qui veredos acceperint, reddere eos neglexerint, & eorum interveniente negligentia periti seu mortui fuerint, secundum legem Francorum eis quorum fuerunt sine dilatione restituantur vel restituantur.

## I I.

Ecclesiarum verò census, id est, nec pascualia infra eorum terminos vel eorum villas, nec telonea infra comitatum in quo consistunt, nec alia quælibet redibitio neque à Comite neque à junioribus aut ministerialibus ejus deinceps ab illis ullatenus exigatur.

## I I I.

Et nisi pro tribus criminalibus actionibus, id est, homicidio, rapto, & incendio, nec ipsi nec eorum homines à quolibet Comite aut ministro judicariæ potestatis ullo modo judicentur aut distringantur, sed liceat ipsis, secundum eorum legem, de aliis hominibus judicia terminare, & præter hæc tria, & de se & de eorum hominibus secundum propriam legem omnia mutuo definire.

## I V.

Et si quispiam eorum in partem quam ille ad habitandum sibi excoluit alios homines de aliis generationibus venientes adtraxerit, & secum in portione sua, quam aprisionem vocant, habitare fecerit, utatur illorum servitium absque alicujus contradictione vel impedimento.

## V.

Et si aliquis ex ipsis hominibus, qui ab eorum aliquo adtractus est & in sua por-

tionem collocatus, alium, id est, Comitis, aut Vicecomitis, aut Vicarij, aut cujuslibet hominis senioratum elegerit, liberam habeat licentiam abeundi; veruntamen ex his quæ possidet, nihil habeat, nihilque secum ferat, sed omnia in dominium & potestatem prioris senioris plenissime revertantur.

## V I.

Placuit etiam nobis illis concedere, ut quicquid de heremi squalore in quolibet comitatu ad cultum frugum traxerint, aut deinceps infra eorum aprisiones excolere potuerint, integerrime teneant atque possideant; servitia tamen regalia infra comitatum, in quo consistunt, faciant.

## V I I.

Et omnes eorum possessiones sive aprisiones inter se vendere, concambiare, seu donare, posterisque relinquere omnino liceat. Et si filios aut nepotes non habuerint, juxta legem eorum alij ipsorum propinqui illis hereditando succedant; ita videlicet ut quicumque successerint, servitia superioris memorata perfolvere non contemnant.

## V I I I.

Simul etiam præcipientes injungimus, ut nullus hominum de sæpe memoratis eorum aprisionibus vel villis, cum propriis terminis, propriisque earum finibus & adjacentiis, injustam inquietudinem illis inferre præsumat, aut aliquam minorationem contra legem facere audeat, sed liceat eis ipsas res cum tranquillitate pacis tenere & possidere, & secundum antiquam consuetudinem ubique pascua habere, & ligna cadere, & aquarum ductus pro suis necessitatibus, ubicunque pervenire potuerint, nemine contradicente juxta prædictum morem semper deducere.

## I X.

Si autem illi propter lenitatem & mansuetudinem Comitis sui, eidem Comiti honoris & obsequij gratia quippiam de rebus suis exhibuerint, non hoc eis pro tributo vel censu aliquo computetur, neque Comes ille aut successores ejus hoc in consuetudinem venire præsumat, neque eos sibi vel hominibus suis aut mansionaticos parare, aut veredos dare, aut ullum censum vel tributum aut servitium, præter id quod jam superioris comprehensum est, præstare cogat. Sed liceat tam istis Hispanis, qui præfenti tempore in prædictis locis resident, quam his qui adhuc ad nostram fidem de iniquorum potestate fugiendo

confluxerint, & in desertis atque incultis locis per nostram vel Comitis nostri licentiam confedentes ædificia fecerint, & agros incoluerint, juxta supradictum modum sub nostra defensione atque protectione in unitate fidei & pacis tranquillitate residere, & nobis ea quæ superius diximus, tam cum Comite suo, quam cum Missis ejus, pro temporis opportunitate alacriter atque fideliter exhibere.

X.

Noverint præterea iidem Hispani sibi licentiam à nobis esse concessam ut se in vastaticum Comitis nostri, sicut alij franci homines, commendent. Et si aliquod beneficium quisquam eorum ab eo cui se commendavit fuerit consecutus, sciat se de illo tale obsequium seniori suo exhibere

debere quale nostrates homines de simili beneficio senioribus suis exhibere solent.

Vt autem hæc nostræ regalis auctoritatis litteræ erga eosdem Hispanos tenore perpetuo ab omnibus fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ & nostris inviolabiliter conferrentur, manu propria nostra eas subter firmavimus & anuli nostri impressione signari decrevimus.

Signum Karoli gloriosissimi Regis, Deormannus ad vicem Hludouici recognovit.

Data III. Idus Iunij, anno quarto regnante Karolo glorioso Rege.

Actum in monasterio sancti Saturnini prope Tolosam in Dei nomine feliciter, Amen.

## TITVLVS VII.

In villa Sparnaco.

*HÆC QUÆ SEQUUNTUR CAPITVLA EXCERPTA sunt à Domino Rege Karolo & Principibus ejus ex his capitulis quæ anno DCCCXLVI. ediderunt Episcopi in Synodis, Vvenilo scilicet cum suffraganeis suis, Gumboldus cum suffraganeis suis, Vrsmarus cum suffraganeis suis, Hincmarus cum suffraganeis suis, Amalo cum suffraganeis suis. & oblata sunt eidem Principi, sicut ipse iusserat, collecta ad relegendum in Sparnaco villa Remensis Ecclesiæ. Et quia factione quorundam motus est animus ipsius Regis contra Episcopos, dissidentibus primoribus regni sui ab eorundem Episcoporum ammonitione, & remotis ab eodem concilio Episcopis, ex omnibus illis capitulis hæc tantum observanda & complacenda sibi collegerunt, & Episcopis scripto tradiderunt, dicentes non amplius de eorum capitulis accepisse quam ista, & ista se velle cum Principe observare.*

I. De honore & cultu Ecclesiarum.  
II. De honore Episcoporum & veneratione servorum Dei.

III. De iustitiis.

IV. Vt cautela fiat erga eos qui causa juventutis aut insipientiæ in aliquo fallunt sive contemnunt admonitionem Episcoporum, ne subito aut incaute damnentur anathemate.

V. De his qui contra regiam potestatem contumaces esse moliantur.

VI. De precariis.

VII. De hospitalibus.

VIII. De rapacibus.

IX. Vt Episcopis tempus congruum

observetur ad ministerium suum peragendum.

X. Vt Clerici arma militaria non contingant.

XI. Vt Missi dirigantur qui inquirent si præcepta à nobis de rebus Ecclesiarum ad proprium sint facta.

XII. De hæresi Simoniaca.

XIII. Vt à nullo sedes episcopalis proprio infirmante Episcopo usurpetur.

XIV. Vt Canonici infra dormitorium dormiant.

XV. Vt monachi ad palatium non veniant, nisi causa obedientiæ, exceptis Abbatibus.